



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.

Antverpiae, 1657

Titulus XV. Sodalem delige.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

De manè mens est purior,
Magisque curis libera:
Cum Solis almi lumine
Lumen resurgat spiritus.

Typographiam, rem fat bonam,
Facit malam ingenii tumor,
Et pervicax in quoslibet
Libido stringendi stylum.

Nisi inchoatæ plusculum
Adjeceris scientiæ,
Quæ sciveris perdes citò;
Quæ sita perdes, ni auxeris.

Sodalem delige.

1. **T**ibi magistrum, & comparis
Studii sodalem compara:
Docebit is, quæ te latent;
Hic te docebit discere.

Abibit id quod legeris,
Studiumque diffluet tuum,
Nisi socium teneas propè,
Tuis parem laboribus.

His vive cum sodalibus,
Qui sanctioris regulæ,
Vitæque possint & velint
Exemplar accipere, & dare.

Quacumque tandem polleas,
Virtute, plus eges bonæ
Sodalitatis, quam bonæ
Sodalitas egeat tui.

Ætate, gente, sanguine,
Doctrinâ & ingenio parem
Para sodalem: ferreæ
Comes olla fictilis crepat.

2. Tu neminem calidè tuos
Inter sodales adlege,
Nisi antè multis agnitum
Exercitationibus.

Confide paucis; non malè
Suadentis est sententia:
Confide nulli; non benè
Est sentientis suasio.

Sodalium quis usui
Non cedat, & moris mali
Duretur assuetudine?
Cor, antè cera, fit lapis.

Tepidos & ignavos fuge:
Hi verba vitæ non habent.
Sectare mentes igneas,
Quæ frigus arceant tuum.

Prudens sodales elige:
Aliena non levem notam
Peccata inurunt. Te probis
Adjunge; talis audies.

Vt nomen obtineas bonum,
Vide quibuscum victites:
Malus videtur, qui malo
Se miscet ultrò cœtui.

Gaudet pari par: graculum
Imitatur alter graculus.
Claudo propinquus & frequens
Vix claudicare nescies.

Biben-

Bibentis os ciet sitim ;
Edentis aspectus, famem:
Ridentis os risum parit;
Alio oscitante, hic oscitat.

Boni colorem dat bonus;
Speciem mali adfricat malus:
Te, meque, sensim talia
Talem dabunt commercia.

Licentiosis moribus
Recta indoles pervertitur:
Moresque honestos & bonos
Corrumpit alloquium malum.

Vt luce jugi fulgeas,
Nec blandientis des locum
Erroris impetigini,
Consortia errorum fuge.

Cave improbi commercium;
Fuge juvenum consortia:
Perdit juventutis decus
Juvenile contubernium.

Quid unus inter tot lupos
Agas canis? sex ebrios
Inter sodales par eris,
Aut vapulabis sobrius.

Tuâ sodales à domo
Exclude pocularios;
Hos umbra damni aut metus,
Mensæ, & tui immemores facit.

Cum sobriis ede & bibe,
Vt esse discas sobrius:
Doceasque, qui jam viderint
Te sobrium, esse sobrios.

Si te malorum cœtui
Adjungis, expecta dare
Pœnas eandem, quas mali:
Malus vidêris cum malis.

Versare cum bonis frequens:
Iunctus malis fies malus.
Liquidam manu quoties picem
Tractabis, inquinaberis.

Absentibus virus nequit
Adflare serpens: qui sapiis,
Serpente pestilentius
Consortium vita malum.

In improborum semitis
Quando libenter ambulas,
Haud vivis affrictus mali
Securus à contagio.

Convictu ab impuro cave;
Nam qualium frequens latus
Stipaveris, te, non diu
Pòst, esse talem senties.

Quos mundus hîc socios vocat,
Hostes puta: sermonibus
Iocisque liberioribus
Linguam recusa, aures nega.

Tui inter ævi pessimos
Illæsus optas vivere?
Disce esse surdus audiens,
Cæcus videns, mutus loquens.

3. Versare tutò cum pari:
Durum est ab illo despici
Lædive, de quo non queas,
Nec si queas, ausis queri.

Durum est amici fraudibus,
Aut vi potentis concuti:
De neutro honestū est, nec potest
Tibi esse tutum conqueri.

Inter duos non eligas
Sedere amicos arbiter:
Mensā paratā sapiūs
Sodalium lis solvitur.

Profana te vulgi nequit
Iuvare conversatio,
Cui, præter aggestas opes,
Meliora fordent omnia.

Socii legendi ? non opes,
Sed opera spectata; sed decus,
Specimens virtutum: satis
Opulentus est, socius probus.

Quando omnibus sapientibus
Omnis susurro displicet,
Sapere videris, qui tuā
Abigis susurronem domo.

4. Socii perinde ac propriam
Habeto caram gloriam:
Multum tuæ addit gloriæ
Lecti sodalis gloria.

Prodesse semper, cum potes,
Lectis stude sodalibus,
Ne si favere desinat,
Tibi noceat sodalitas.

Pretiosa quam minimo solent
Constare verba: suavibus
Nutritur alloquiis amor;
Audace verbo rumpitur.

Disce. Doce.

1. **A**Rbor licet sapientiæ
Radice surgat felleâ;
Amaritudo melleos
Quandoque fructus proferet.

Vbique disce: sit tuus
Etiam magister hortulus;
Docili minutus maximam
Dat lectionem flosculus.

Præcepta sub doctis bona
Edoctus, indoctos doce:
Discente te, docente te,
Doctrina in orbe floreat.

Docere scis ? primo sede
Loco: secundo, discere
Si vis. Docere aut discere
Nescis ? sede nullo loco.

Docere multi malumus,
Quàm discere; at plus discere
Tibi quàm docere proderit:
Qui discit, ipse se docet.

Ea disce, quæ nescis prius,
Tum deinde nescios doce.
Solut nihil discit DEUS:
Solut DEUS solùm docet.

Nisi aptus es doceri,
Nec aptus es docere:
Prudens docendo discit.
Docere vis ? docere.

Etiam